

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Ad Memoriam Reformationis B. Lvtheri Opera Coeptae Pie Celebrandam Vrtivsque Reip. Proceres Et Academiae Cives ...

Tietze, Immanuel

Lipsiae, [1711?]

VD18 13540688

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-196152



Remenda vox est, qua postquam Angelum, aeternum Euangelium tenentem partibus suis defunctum vidisset, charissimus discipulorum Christi Ioannes, alium angelum iudicium Babyloni denunciare audiuit, dicentem *cecidit, cecidit Babylon, vrbs illa magna, quoniam*

Apoc. XIV, 8.

venenato impudicitiae suae vino gentes omnes potauit.

Quem lapsum Babylonis, ex ipsa Euangelii manifestatione vberiore secutum, ita comparatum tamen, vt ex eo, pro vt ex sequentibus reuelationibus Ioanni factis colligimus, non leuiter paulo post respiraret atque resurgeret, alius secutus est longe grauior, cum fatali interneccione vrbis meretricis coniunctus, ex quo resurgendi nulla spes ipsi relinqueretur. Hunc angelus magna potestate praeditus, cuius splendor vniuersam terram collustraret, vehementer magna voce clamans, denunciauit, grauique oratione explicauit, cuius initium *cecidit, cecidit magna Babylon.*

Apoc. XV III,
2.

Tum alia de coelo inaudita vox fuit, populum Dei vt ex ea discederet inuitans: *Migrate ex ea, mi populus, ne sitis eius peccatorum participes, neue eius cladibus afficiamini,* imo eundem ad promouendam iudiciorum DEI executionem exhortans. Quam exhortationem post viuendam calamitatum Babylonis delineationem, Angeli robusti excipit facinus, qui, saxum ingens vt molam tollens, in mare illud deliicit, dicens: *Tali impetu iacietur Babylon, Vrbs illa magna, NEC AMPLIUS EXTABIT.* Quae sane omnia ita sunt comparata, vt legenti horrorem non incutere non possint, grauisissimam iram DEI, suppliciiis grauissimis foecundam, grauitate orationis fatidicae summa,

v. 21.

a) in Apoc.
b) de visib.
monarch. L.
VI. f. 217.
c) de Rom.
Pont. L. II.
c. II.

ob oculos nobis ponentia. Neque miramur proinde mysticae Babylonis, hoc est Romanae Ecclesiae, ciues, nihil non agere, vt facem illam prophetica obscurantes, tum sibi, tum aliis persuadeant, nihil in illis visionibus esse, vaticiniisque, quod ad ciuitatem suam, patriamque tantopere adamatam, in qua opibus suis, honoribusque & voluptatibus tam suauiter indormiscunt, pertineat. Equidem eo denique oculatiores inter illos adduxit oraculorum Ioanneorum clarissima lux, et lucidissima claritas, vt ROMAM esse agnoscerent magnam illam urbem, BABYLONIS nomine insignitam: ita enim & situm vrbis et eius dominiū nobis repraesentatur, vt alia intelligi non possit, agnoscantibus id Ribeira, Cornelio a Lapide, Lessio, Viega, Alcafare, (a) Sandero, (b) ipso quoque id approbante Bellarmino, (c) quibus nuper suffragio suo accessit Iacobus Benignus Bossuetus, Episcopus Meldensis, qui rem non tantum in se manifestam, & ipsa luce oraculorum Ioanneorum sese proidentem, certissimam esse dicit, sed & constanti Ecclesiae traditione confirmatam defendit. At ROMAM Christianam, Vniuersalis Episcopatus sedem, & orbi vniuerso leges Religionis e Petri cathedra dictitantem, esse negant, ad quam ista iudicia Dei spectent, nihilque non agunt, vt ea a verticibus suis amoliantur. Verum vt non vnus est Spiritus erroris, suoque vbique sese prodit dissensu, ita hic quoque in partes ab eo actos obseruamus eius auspicia secutos. Alii enim Romanensium Doctorum Romam hic intelligunt, qualis sub finem mundi est futura, tempore Anti Christi, sub quo Roma a fide Christi & obedientia erga pastores eius ad veterem paganismum sit relapsura, quae Leonardi Lessii est, Blasiique Viegae, & Ioannis Ribeirae sententia. Optime in quantum in se spectatur, hoc est, prout in Scholis

Scholis loqui amant, in *thesi*, se habens. *Romam* enim a Christo, pastoribusque eius ingenuis, versus extrema, quae iam attigimus, mundi tempora ad paganissimum, h. e. omne genus idololatricarum superstitionum, deficientem, BABYLONA illam esse, cui tam seuera iudicia minata est vox angelorum, ipsi quoque agnoscimus. In *hypothesi* igitur tantum aberratur ab illis Doctoribus, dum *apostasiam* illam, qua sunt mentis caligine, iam factam non agnoscunt, & quidem Duce illo ipso Pastore idolorum, qui Christi pastorem se simulat, ipse verus Antichristus, ut factam illam apostasiam iam esse tum alii Doctorum nostrorum, tum inprimis B. Nic. Hunnius; egregie demonstrant. Qua certe praesupposita demonstratione, vix euitabilis est allegatis Romanae Ecclesiae doctoribus perfectus ad nostram, qui *Romam* hodiernam Babylona esse contendimus, transitus. Quem quidem hoc magis expeditum Viris illis, & quotquot eorum sequuntur disciplinam, reddere hoc debebat, quod ipsa eorum sententia supponat, *fieri posse, ut Romana Ecclesia deficiat*. Quod fieri igitur posse supponunt, factum iam esse, argumentis, quibus Apostasiam Rom. Ecclesiae euincimus, conuicti, facilius, quam illi agnoscent, qui absurdo *infallibilitatis* atque *indefectibilitatis* Ecclesiae Romanae praecudio laborant, Ecclesiam particularem cum Ecclesia vniuersali eiusque priuilegiis prorsus inepte confundentes. Atque haec tam obesae naris non fuerunt, ut non subolerent fratres illorum Doctorum, & in ornanda tuendaque Thaide sua *συγγρηγι*. Reiiicitur enim eorum sententia, ut non ferenda, post Suarezium (a) ab Alcafare (b), & eruditissimo Interpretum Pontificiorum Bened. Iustiniano (c), imo a Maluenda, ut plane incredibilis pro detestanda habetur. Aliam igitur viam

A 3

iniue-

a) 5. 7. 10.
b) Prolegom.
ad Apoc. 17.
18.
c) ad 2. Thess. 2.

iniuere, qui magis sapere sibi videntur, Romam Babylona
 esse non diffidentes, sed Romam Ethnicam siue paganam,
 paganis Imperatoribus subditam, qualis erat, cum librum
 reuelationum diuino impulsu Ioannes Apostolus scribe-
 ret. Eam sententiam qui multo ingenio, eruditionis ap-
 paratu, & facundia, nostra aetate causam Romanae Ba-
 bylonis egit, ex parte amplexus est, paulo ante allegatus Mel-
 densis Episcopus, cuius Explicatio Apocalypseos in Me-
 tropoli Regni Galliarum A. c. l. lxxc. luci exposita, tota
 ad id comparata est, vt diras in Romam papolatram, in
 diuino illo libro effusas, artibus suis alio versus deriuaret.
 Vt vero ne color desit huic interpretationi, impletum in
 ROMA *pagana* oraculum angeli, CECIDIT,
 CECIDIT BABYLON *vrbs illa magna*, tum
 quidem fuisse putat, cum ab ALARICO Gotho-
 rum Rege capta atque incensa illa olim sedes Imperii fuisset.
 Vbi id, antequam longius progrediamur, non obseruare
 non possumus, antiquum obtinere Gallum Bossuetum, sen-
 tentiam non adeo nouam recoquentem, nulloque eius
 allegato autore tanquam recens ferculum apponentem, vt
 ipse scilicet praeclari *εὐσηματος* habeatur inuentor, vel sal-
 tem rariora in medium afferre videatur. Verum dudum
 est quod *λέγω* illi delirando, occasionem dederit vir ce-
 tera magnus, Hugo Grotius, qui, ut sunt hominum ingenia,
 magnorum quorundam nominum in Ecclesia Rom. stu-
 dio, ad huiusmodi interpretamenta, vel somnia potius
 erudita, faciliorem se praebere solebat. Is enim
 postquam in obseruationibus ad Cap. XIV. v. 8. libri re-
 uelationum, *Romam paganam* intelligi, aut sane *a paga-
 nismo non repurgatam* per BABYLONA dixisset, iam
 audacior factus in obseruationibus ad cap. XVIII, *Totilae*
 stra-

stragem Romae illatam eo capite delineari existimat, ea-
que occasione vastationis *Alarici* etiam mentionem facit.
Alaricum igitur arripiens Boffuetus, eius opera mini-
strante cecidisse Romam *paganam* arbitratur. Incertus
tamen sententiae suae in *admonitione ad Protestantes de*
praetensa impletione vaticiniorum (quam publico scripto
P. Iurieu explicauerat) vel ab *Alarico* vel *Genferico* exe-
cutioni mandatum esse censet, quod contra Babylona
denunciatum fuerat diuinum iudicium. Vnde nemo est
qui non facili negotio colligat, si talis fuit sub *Alarico*
Romae illata clades, vt suspicioni locum relinquat *Gen-*
ferico deberi excidium, de quo vaticinia Ioanni obtigere,
& si *Genfericus* quoque ea conditione Romam esse fuit,
quae *Totilae* locum relinqueret cladis inferendae, quae
amplitudini vaticinii responderet, vel saltem pro insigni
euaftatione haberi valeret, non posse vel in *Alarici* vel in
Genferici depredatione esse, quod satisfaciatur euafta-
tioni, qualem Ioannes praedicat, qua disparitura sit Roma
sicuti molaris lapis in mare proiectus. Et si *Totilae* clades
illi verborum propheticorum grauitati respondeat minus,
quod ipse agnoscere videtur Boffuetus, in *Alarico* &
Genferico patris alias non substitutus, nihil esse in omni-
bus istis commentis, quod assensum iure mereatur, facili
negotio dispalescet. Verum audiamus tamen Boffuetum,
quibus fulcris arenoso solo positum aedificium suffulciat.
Primo igitur, Romam victricem & orbis terrarum Do-
minam per Babylona intelligi ait ab antiquissimis Patribus,
a quibus per lapsum Babylonis destructio illius imperii u-
niuersalis cum euaftatione ipsius vrbis intelligatur; poenae
loco expectanda, foedisimae Romanorum idololatriae, &
persecutioni Christiani nominis, debitae. Quam in rem

Ire-

praef. §. VII.
& ad cap.
XVIII.
p. 389. 390.

Grotius ad A.
poc. XIV, 8.
XVII, 18.

Ep. XI.

Ep. XVI.

Irenaei, Augustini, Hieronymi & Orosii loca allegantur, Grotio quoque maiorem partem observata. Ponamus autem Patres illos Romam paganam spectare vaticinia illa credidisse, an eorum, si oraculi euentus non responderat, ut non respondere paulo post ostendemus, tanti nobis erit autoritas, ut propterea ipsius vaticinii fides periclitetur? Quid mirum praeterea, Antichristo, & apostasia Ecclesiae Romanae nondum manifestata, Patres in assequendo oraculo paulo fuisse hebetiores? Contra in vitia & tyrannidem Romae paganae paulo concitiores lubenter ei diras applicuisse, quas non male eam promereri arbitrarentur. Quid quod Hieronymi loca ad Romam paganam spectare, non adeo sit evidens, ut controuersiam non admittat, verum cum festinandum nobis sit, illis non immorabimur. Ad complementum potius vaticinii progrediamur, ex quo inprimis hic iudicium ferendum. Ad Hieronymi igitur ante omnia loca prouocat, quibus euastationem Alarici describit. Ex eis, ut breuitati litans, insignissimum adducam. Dicit inter alia *urbem inclytam & Romani Imperii caput vno haustam esse incendio, nullamque esse regionem, quae non exules Romanos habeat*, quod totalem urbis euersionem, qualis a Iohanne praedicatur, significare Meldensis existimat. Verum oratorem potius quam Historicum Hieronymum, dum ita loquitur, agere, tum ex ipso Hieronymo constat, qui inter cruentos Gothorum gladios pietatem locum inuenisse non dissimulat, tum inprimis luculenter ex Orosio, qui Alarici exercitum *triduana direptione contentum sponte discessisse docet, facto quidem ALIQUANTARVM AEDIVM incendio, sed ne tanto quidem, quantum DCC conditionis eius anno casus efficerat.*

rat. Quo iure igitur ALIQVANTARVM aedium
 incendium, abolitionem feralem Romae Episcopus Mel-
 denfis interpretabitur? quo iure Romam pro ita destru-
 cta ex illo incendio habebit, vt lapidi in mare proiecto
 comparanda veniat, quae ex incendio, casu ipsi A. V. C.
 Dcc obtingente, pro pessundata & euastata ab eo neuti-
 quam habetur. Similia de Genseric direptione obser-
 uamus, si ad eam forte confugere aduersariis placeat. Ab
 eo enim qui Urbem incensam tradit, errat, Evagrius, cui
 Victor Tunonensis opponendus & Paulus Diaconus, di-
 fert Gensericum a Papa Leone exoratum, ab incendiis ab-
 stinuisse docentes. Totilas vero nullum aliud damnum
 Romae intulit, nisi quod partem murorum tertiam de-
 moliretur, ab incendio urbis Belisarii litteris revocatus,
 vt ipse ex Procopio docet Baronius. Sed & Melaniae ex
 vrbe discessus paulo antequam ab Alarico expugnaretur ar-
 gumentum Bosueto praebet, quo facto, vt habet Pal-
 ladius, historiae Latissimae conditor, *barbarica procella*
in urbem Romanam iuxta vaticinia prophetica irruit.
 Sed vt taceam, si hic respiciatur ad diras propheticas in
 Babylona mysticam, a Palladio non a Melania id fieri;
 necesse nihil est, vt dicamus ad Joannea de Babylone vatici-
 nia respici; & si respiciatur, nihil vetare reicere appli-
 cationem vaticinii, inuitis eius circumstantiis factam.
 Imo si aequo animo Melaniae historiam inspexisset Bos-
 suetus, in ea quod, vt nostram causam iuuat, ita ipsi ma-
 xime obest, facili negotio poterat inuenire. Melania e-
 nim Anti Christi temporum metu, quem in Ecclesia Dei,
 & in vrbe Roma sedem habiturum praevidebat, non bar-
 baricae procellae, Romae paganae imminentis, terrore,
 Roma cum suis emigravit. Neque Pseudo-Ambrosii

c. 118.

B

nos

nos mouet Commentarius, quem ad partes trahere Mel-
denſis conatur, cum fictitiuſ ille autor, certiorum ar-
gumentorum ponderi praeualere haut debeat. Vt in-
firmiſſima igitur ſunt quae quaerit ſententiae ſuae fir-
mamenta Boſſuetus, ita ſumma vi eam quatunt: Quod
Roma inde a temporibus Alarici pagana non fuerit am-
plius, Imperatorum Chriſtianorum per duo & quod ex-
currit ſecula obnoxia imperio, & paucis tantum paganis,
ſi cum vaſto Chriſtianorum ciuium numero comparetur,
tum quidem inhabitata. Quod item ſedes & caput Im-
perii Romani temporibus Alarici non extiterit amplius,
ſede Imperii ante duo ſecula Conſtantinopolin, quae no-
ua Roma erat, translata. Quod porro, vt modo oſtendi-
mus, inſignem deuaſtationem, multo minus totalem de-
ſtructionem ſub Alarico Roma experta non fuerit. Sed
neque iſtud praetereundum, quod Romano imperio in
decem Reges iam diuiſo, qui vna cum *beſtia*, id eſt Anti-
Chriſto, regnum accepturi erant Apoc. XVII, 12. illa to-
talis Romae ſtrages fuerit expectanda. At Reges qui
cum AntiChriſto regnum acceperint Alarichi aetate
monſtrari non poſſunt. Frigidum namque eſt quod ex
Pſeudo Ambroſio aſſertur de Perſis, Saracenis, Vandalis,
Gothis, Longobardis, Burgundionibus, Francis, Hun-
nis, Alanis & Sueuis, quorum decem Regibus nobilio-
res Romani Imperii prouincias ceſſerint in rapinam.
Quomodo enim de illis dicere potuiſſet Ioannes, ſua
aetate regnum eos nondum accepſiſſe, qua ampliſſimum
fuit Perſarum imperium? quomodo dicere poſſet omni-
bus hiis vnā eſſe ſententiam? qui mutuis cladibus con-
cidere. Quomodo eos una cum Anti-Chriſto poteſtatem
accepſiſſe oſtendi poterit, ſuas opes ei commodantes?
Prae-

Praeterea excidium, de quo sermo est, Romae inferendum est post populum DEI ex Spirituali illa Babylone euocatum Apoc. XVII, 14. cui materia gaudii existere debebant graues eius ruinae Apoc. XVIII, 20. XIX, 1. At grauib. querelis orbem Christianum impleuit Gothica urbis Romae expugnatio: vastatio vero quidem eius tanta non fuit, vt adeo esset exhorrescenda, vt Ioannes dicit, Alaricho multa humanitate in victos vso, atque certa asyla quoque quae tangere nefas esset militi diripienti, designante, in quibus summa securitate ciues inprimis Christiani viuere possent. Quae omnia si cum exacta Babylonis mysticae, prout a Ioanne delineatur, & Romae Papalis similitudine, quam nunc quidem fusius persequi non licet, coniungas, neque dememineris Babylona illam tanquam sedem Anti-Christi repraesentari, cuius sedes non in pagana vrbe sed medio DEI templo, hoc est Ecclesia, praedicente Paulo 2 Thess. II. esse debebat: non inuitus fateberis & in commodum valde Episcopum Meldensem diuinorum oraculorum interpretem esse, & nihil magis nostrorum doctorum interpretatione eorundem expeditum facile inueniri. Sed vtut species fallant rudiores, & seipsos quoque praeiudiciis affectibusque suis excoecent, illi Romanae Ecclesiae aduocati, Deum certe non fallent, qui suorum aduersus adulteram Ecclesiam iudiciorum fulmina, vbi tempus aduenerit, vibrabit in metam, quam minis suis se intendisse minime obscuris indiciis prodidit. Initia eius rei vidimus, per aeternum Evangelium gentibus & nationibus inde a temporibus salutaris Reformationis excitationis atque instructis. Quo ipso cecidit, cecidit Babylon vrbs illa magna, integris nationibus & prouinciis Imperio eius subtractis, eiusdemque autoritate immane quantum

apud eos etiam, qui penitus iugum eius excutere non au-
derent, imminuta. At penitus tamen extincta non est:
veniet vero dies qua graviores ruinae sequentur, cum ipse
Antichristus, Rector & Princeps Babylonis spiritu oris Chri-
sti conficietur. Atque hoc est, Academici, ad quod par-
tim grato animo recolendum, partim sancta spe expectan-
dum animos nostros erigere debet crastina dies, qua coe-
ptae Reformationis memoriam Ecclesiae nostrae obeant,
pietate summa celebrandam. Illi pietatis affectui alimen-
ta praebebit Vir Iuuenis Cl. M. AMANDVS GOTT-
HOLD FEHMEL, *Leibnitio Misnicus*, sacra oratione
de LVTHERO *Civium Babylonis*, ad quam deferen-
dam vexillum extulerat, *calumniis vero Christi discipulo*
comprobato. Ei igitur pie & diserte verba facturo, ut crasti-
na die *post H. XI.* in Templo Academico benignas aures
VTRIVSQ. REIP. PROCERES, cum civibus no-
stris, praebeant, qua decet humanitate oramus P. P.
pridie Vigiliis O. SS. A. clb IcccXI.

L I P S I Æ,
T Y P I S I M M A N V E L I S T I T I L.